vi gravetur, communi defensione caeterorum tueatur.
Verum quod ad commune foedus faciendum attinet, requirere hanc rem gravem deliberationem, nec unius Principis aut Status esse, quicquam de ea decernere. Existimare tamen liberam minimeque coactam consociationem plus fidei et adjumenti, quam strictam foederum religionem habituram. Quae si Regiae Majestati non displiceret, facile in ea non postremum locum obtentaturam, paribusque officiis Christianae amicitiae fruituram.
Porro cum sua Celsitudo intelligat, praedictos Legatos velle quoque reliquos Principes Mjtis Regiae nomine invisere, et cum illis hac de re conferre, paratam esse intelligere suam Celsitudinem, quid coeteri in hoc negotio statuendum censerent, nihilque praetermissuram esse in his, quae ad fovendam et conservandam animorum conjunctionem, in propaganda vera Religione conferre videbuntur.
Haec breviter Celsitudo sua Legatis Regiis respondere voluit, a quibus petit, ut Mjti Regiae suam animi singularem propensionem in omni genere officiorum deferant, atque tum Regno Anglicano nomine Palatinae familiae diuturnam pacem, puraeque Religionis constantem progressum precentur. Signatum Heydelbergae Calendis Septembris Anno Domini 1562.

M. Nicolao Scharbronck. Lutetiae 31.)
Pax Christi.
Nihil potuit contingere optabilius in vita, quam quod his potissimum temporibus in Galliam venisti, quum ea ibi gerantur, quae omnis posteritas linguis et literis celebrabit. Felicitatem istam quo ardentius te amo, tanto vehementius tibi gratulor, et Deo pro ejus in te benignitate gratias ago. Scripsisti de [= Mscr. a. 4: Nr. 109]

Cornelia, quod me sollicitat, vereor ut multis
annis isthic esse possit, grata sunt mihi tuam,
[illegible], quaeso ut acta si quae videbis insignia,
literis prodita diligenter colligas, ut ea nobis
vita comite aliquando communicare possis.
Nobis res acerba interea evenerunt, filio no-
men Domini fratribus magnum et sanctum in-
men. Scis quid turbae extiterit tui infantis
Baptismi causa, postquam abiisti quaestionem sibi
propositam, qui Francofurti et Bade erant
fratres mihi noti expedierunt concorditer, de
re non necessaria a nobis turbatum esse.
Te quidem fecisse recte, qui conscientiam sequu-
tus sis, quae si tamen bene informata fuisset
praesentibus ceremoniis contenta quievisset.
Aquam enim illam Papisticam non obstare Ba-
ptismo, praesertim cum eam liceat protestatio-
ne purgare. Dum haec aguntur et anxie haereo
ipso die beati Johannis 29. Augusti ao 1561
a meridie in his nundinis inter 5 et 6. fi-
liam enixa est, sed infirmiorem, quam quae in
publicum auferri posset. Minister domi non vult
(ut scis) baptizare. Ego mulieri tum facta de ea-
dem re disputatione committere nolebam, quid fa-
cerem? convocavi familiares et communi
precatione commendavi eam Filio Dei ex-
orans ut in proximam lucem servaret postridie
Ecclesiae offerendam. Post haec jussi famulam foemi-
nis coenam ponere, dum coenant [illegible]
ore in Gynaeceum infans apud matrem in lecto
erat, et quia non audiebam vagientem jussi
eximi lecto, ibi triste sane spectaculum vidi,
quod me in animi deliquium projecit, per

omnes fascias sanguis in lectum fluxerat scilicet,
obstetrix, parum sobria die festo, umbilicum adeò
non strinxerat, ut vel flatu ultro citroq; moveri
posset, sic mihi in senectute jamdiu expectata filia
cum eriperetur, sucissa est, hunc exitum contentiones
habuerunt. justus es Domine et judicia tua recta
sunt. ~~quid posse~~ Ah Pater clementissime, propter
bonitatem tuam fac, ne unquam sentiam, quid possis
irati. Ego adeò jam projectus et consumptus sum, ut qui
me norint, vix agnoscant. A schola Geber ratione
temporis gesti Gelderosii, hoc meis ærumnis accessit, nos
reliqui navicularii Thomas meum et Jacobum jussi
semelq hunc saltem annum ultimum experiri, ecquid
aliâ viâ succedat. Adjuvate me apud Deum tua inter
cessione, valdè enim sum adflictus, animo tamen ad huc
bono est, quoniam in voluntate Dei patris nostri lu
bens acquiesco, hanc unam sapientiam censens obedi
re ei et obsequium voluntarium praestare. [illegible]
tatis etiam [illegible] est, ignorandum bonum habitudi
qualem optat invenit. Gelderosius quoque, sic hæret,
suos privatim instituens, eos habet 9. aut 10.
mihi sunt convictores unus et viginti, et tamen sem
per sum inanis, non quo sum queri, vivo enim tenuis,
et ut quoad cursum meum sine infamia perficere
contendo. Deus, qui pascit me à juventute mea
replebit bonis animam meam, sicut scriptum est. Math: 6.
Quaerite regnum Dei, reliqua adjicientur. Consola
dic ex me, ut sit fortis in Filio Dei, qui dilexit
nos, et tradidit se ipsum pro vita et salute no
stra. Spero fore, ut fruar conspectu vestro jucun
dissimo, priusquam obdormiam in Domino. Utcunq
res cadet, conservate fidem incorruptam, et ponite
in Deo spem vestram, exercete simul lectione
scriptura et ardente in invocationem. Multæ
vos manent tribulationes, ex iis vos eripiet Servat,

tor. Amen. Soror nostra mecum est etiam nunc omnino tali famula fuit opus, quae oeconomicae esset; uxor imbecillis à partu semper fuit, non tamen decumbit, satis aliqui se accommodat rebus et moribus nostris, pro qua re Deo gratias ago. Salutat vos ambos mecum. Gerardi familia satis felix est. Et nobis Dominus in conservatione familiarum mirifice benedicit, sitque nomen ejus gloriosum apud omnes cordatos. Amen. Duisburgi per D. Licentiatum Rhodium euntem in Brabantiam. Nonis Januarij 1562.

Affinis tuus et frater
benevolus
Johannes Molanus.

32.

[= Mscr. a. 7. N. 110]

Pax Christi
D. Conrado Kenckelio Senatori
urbis Bremae.

D. Kenckeli vir amice et frater. Confeci meo Conrado tuo novum Latum clavum (Kirsacken vulgo vocant) ex panno nigro bene pellitum. Item ex serico et pellibus novum pileum, sicut praescripseras, nec necesse fuerat aurum ad eas res mihi; quamdiu enim mecum fuit (Deus testis esto) nullam rem necessariam passus sum ei deesse, vel ad victum, vel ad vestitum, vel ad rectam artium et morum institutionem. Sed tamen omnia haec mediocriter pro modulo meo et pro captu puerorum. Querela de vestitu puerilis est; habebat enim filius tuus (tres vestitus) unum Latum clavum, griseum pellitum, deinde alium panno suffultum, quem ex mantello ejus confeceram; postremo tertium elegantem ex sericofustano, qualem ipse gestare soleo, cum festivius ornari volo; haec ego sufficere arbitrabar